



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

**Parisiis, 1644**

V. De militibus defunctis qui sunt ad terminum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15588**

deprecamur, atque pastoralis auctoritate iubemus, vt quotidie, sicuti fratri in vicibus dabatur & debetur, ita quod est necessarium sustentationi huius vitæ, in cibo & potu tantum, cuidam pauperi donec ad quadragesimum diem impendatur. Omnes enim alias oblationes, quas in morte fratrum, & in paschali solennitate, ceterisque solennitatibus, Domino pauperum commilitonum Christi spontanea paupertas indiscrete reddere consueuerat, omnino prohibemus.

## IV.

*Capellani victum & vestitum tantum habeant.*

Alias vero oblationes, & omnia elemosynarum genera, quoquo modo fiant, capellanis, vel aliis ad tempus manentibus, vnitati communis capituli reddere peruigili cura præcipimus. Seruitores itaque ecclesiæ victum & amictum secundum auctoritatem tantum habeant, & nihil amplius habere præsumant, nisi magistri sponte caritatiue dederint.

## V.

*De militibus defunctis qui sunt ad terminum.*

Sunt namque milites in domo Dei, templique Salomonis ad terminum misericorditer nobiscum degentes; vnde ineffabili miseratione vos rogamus, deprecamur, & ad vltimum obnixe iubemus, vt si interim tremenda potestas ad vltimum diem aliquem perduxerit, diuino amore, ac fraterna pietate, septem dies sustentationis, pro anima eius, quidam pauper habeat.

## VI.

*Vt nullus frater remanens oblationem faciat.*

Decreuimus, vt superius dictum est, quod nullus fratrum remanentium aliam oblationem agere præsumat: sed die noctuque mundo corde in sua professione maneat, vt sapientissimo prophetarum in hoc se æquipollere valeat: Calicem salutaris accipiam, & in morte mea mortem Domini imitabor: quia sicut Christus pro me animam suam posuit, ita & ego pro fratribus animam ponere sum paratus. Ecce competentem oblationem: ecce hostiam viuentem Deoque placentem.